

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Crvx Pavli 2. Corinth. XII. 7. Crvx Exegetarvm**

**Zeltner, Gustav Georg  
Schwindel, Georg Jacob**

**Altdorfii Noricorum, 1717**

Pars II. Practica et porismatica

[urn:nbn:de:bsz:31-130491](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130491)

*puta Legatus Ille Satan* ( Alexander Faber , quem nostis , & de quo ac sociorum calumniis , quibus me excruciant , antea pluribus scripseram ) *ut me quasi colaphis cadendo ignominiosissime tractet* ( spernat & quovis modo deprimat ) *propterea etiam iterum iterumq̄ , rogans Dominum , ut a me desisteret* ( sive Dominus ipse , sive hostis obtrectator ) *responsi loco tuli , sufficere mihi ( interim ) debere gratiam in infirmis multo magis elucescentem . Glorior igitur potius in his afflictionibus meis &c .* Quæ enim sequuntur reliqua ad eisdem Pseudò - Apostolos eorumque in Pauli injurias amplius pertinent , & de iisdem hic quoque sermonem fuisse cum ceteris confirmant . Ita putamus fixam hoc loco Exegetis crucem pro virili esse refixam .

## PARS II. PRACTICA ET PORISMATICA.

Scilicet , uti tota Scriptura , ita hæc quoque ejusdem pars haud postrema , ipso Paulo 2. Tim. III. & Rom. XV. teste,  
Utilis est

### I.

Ad Διδασκαλίαν : Docet enim

1. Quantum sit Mali Dæmonis in Ecclesiam Christi odium & quam innumerabiles ejusdem in cœlesti veritate impedienda fraudes τῶν μυσιοτεχνῶν , non tantum per se , sed & per alios , quos ideo Apoc. XII. 7. 8. 9. Dragonis Angelos , ( sive cohortem Dæmonum reliquorum intelligas , sive homines ejus causam agentes ) appellat Spiritus S. Unde & observatum est , præstantissimos Ecclesiæ Dd. suos quasi , eodem auctore , habuisse adversarios proprios , Petrus Simonem Magum ,  
Paulus

Paulus nostrum hic Alexandrum & alibi Elymam  
 &c. Johannes Cerinthum, Justinus Crescentem, Atha-  
 nasius Arrum, Chrystostomus Eutropium ac Theo-  
 philum, Lutherus præter Emserum, Ekkium, Coch-  
 læum &c. calumniatores alios plurimos ut de recen-  
 tissimis Ecclesiæ & DD. ejusdem verorum ac fidorum  
 fatis odiosa prætermittam exempla alia.

2. Qui sint Genuinorum, qua veritatem doctrinæ, quæ  
 Theologicæ notitiæ & scientiæ ingenuitatem, Eccle-  
 siæ Ministrorum Characteres; Hi nempe, ut quæmad-  
 modum Angeli Satanæ illi, ita contra veri Angeli Dei  
 ipsi sint, vocati non a se ipsis, sed ut Aharon Ebr. IV.  
 a Deo; Amplius, quorum ut summa est rerum agen-  
 darum cura ædificatio Ecclesiæ atque salus auditorum  
 Coloss. I. 28. 29. Act. XX. 31. cujus obtinendæ causa  
 omnibus omnia fieri non detrectant 1. Cor. IX. & ad  
 defatigationem usque laborant, Christi exemplo Joh.  
 IV. Marc. I.; ita summa censetur ærumna & quasi acū-  
 leus carnî suæ infixus, si quando impedimenta sibi  
 poni animadvertant. Sicuti nimirum Christiani sunt  
 Zelotæ in Exercitio Bonor. Operum Tit II. penult.  
 Ita eorum Doctores zelo Dei imprimis ardent pro tota  
 Ecclesiâ suisq; auditoribus ad æternam salutem perdu-  
 cendis. Vid. Num. XXV. 11. II. Cor. X. 2. & I. Cor,  
 XI. 29. Act. XVII. 16. &c.

3. E re Ecclesiæ esse si falsi ac spuri DD. suo, quod merentur  
 nomine & titulo insigniantur, quantumvis interdum  
 non usquequaque grato; Quale hic angeli Satanæ  
 nomen est, item Christi progeniem viperarum,  
 hæcæcos stolidosque nominantis Phariseos invec-tiva  
 & Pauli nostri canum quoque usurpantis appellatio-  
 nem Phil. III. 2; dummodo non animo injuriose in-  
 sectandi, quod maledicorum est, sed nuda & aperta  
 veri-

C

veri-

veritate emendandi, quod Medicos decet, idem fiat.  
Conf. 2. Cor. V. 13.

§. II.

Ad ἔλεγχον.

1. Contra eos, qui ita sibi vinculum proponunt Satanam, ut operari amplius non valeat. Contrarium enim hic ostenditis, qui vocatur hoc loco Angelus Satanæ, siquidem hoc ipso nomine a Cacodæmone missus ejusdem legatus, per quem is efficax sit, declaratur, quod etiam ulterius tum diversorum in Act. Evang. fata ægrotorum & obsessorum atque finis denique excommunicationis Alexandri 1. Tim. I. confirmat, quæ cum Bekkerus aliique in alienos sensus & accommodatas ad hominum errores sententias dotorquere satagunt, næ! causam suam pessimam manifeste produnt.
2. Contra quoscumque summam in hac vita perfectionem & a peccato plenam immunitatem somniantes; Hos enim Pauli e Paradiso redeuntis in has terras exemplum (Rom. VII. satis superque expositum,) peccati inhabitantis & ad animi elationem irritantis in eo pericula hic nobis exposita sistens clarissime refellit. Ad hæc enim mala reprimenda Alexandro ferrario hic opus fuisse patet.
3. Contra Elenchi nominalis impugnatores sive timore si-  
ve syncretisticis consiliis inductos. Scapham scapham appellare jubet Apostolus. Modeste quidem sed aperte tamen & sine tergiversatione; Nec timide nec tumide cum adversariis cœlestis veritatis agendum docens. Ἀποτόμως hic agendum Tit. I. 13. ut norint lupos, a quibus cavere sibi debeant oviculæ. Cætera DEO committenda & veritati litandum, contra quam nihil valemus miseri, pro ea  
vero

vero vigilandum nobis esse mandat idem Aposto-  
lus 2. Cor. XII. 8. Si hac non succedit res isthæc vis  
nobis instantibus, patienter ferenda sunt, quæ muta-  
re non possumus. vid. Gal. V. 12. & 1. Tim. I. penult.  
Tandem bona causa triumphat.

§. III.

Ad παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ

1. Hostibus veritatis quibuscunque ac nostris etiam sigil-  
latim, non solo contemptu aut stoica ἀπαθεία, sicuti  
nec Paulus σκόλοπα istum sprexit, nec maledictis;  
id enim Spiritus S. consilio 1. Petr. III. 9. e diame-  
tro repugnat, & Christianæ πράξι a Christo nobis  
tantopere commendatæ adversatur; sed lacrymis &  
precibus resistendum. Hæc sunt arma Ecclesiæ. His  
pugnandum contra oppugnatores, donec e re visum  
domino, hostium molimina justo tempore evertere  
& rebus nostris succurrere lapsis vel inclinatis.
2. Persecutiones & obtreccationes calumniatorum, modo  
conscientia nostra nulla nos expallescere culpa jū-  
beat, convertenda esse in salutaria humilitatis exer-  
citia, quibus vetus & connata indoles mala sive caro  
ferociens magis magisque destruat, nova vero &  
Christo conformis animi regeniti proclivitas ad bo-  
na & honesta quævis incrementa capiat & ἡμέρα καὶ  
ἡμέρα renovetur 2. Cor. IV. 16.
3. Tanto confidentius adversus calumniatores hostes in-  
standum & Ecclesiæ præsertim ministris veris adver-  
sus falsos contendendum, ut per omnia sese exhi-  
beant tanquam *Dei Legatos* 2. Cor. VI. 4. & 8. *ἀ-  
δυσφημίαις, καὶ εὐφημίαις.* Tune cede malis &c.

§. IV.

Ad ἐπανόρθωσιν

1. Meticulorum cum Dd. tum Auditorum, contra Matth.  
X. 26.

X. 26 & 28, Hebr. X. 42. seqq. & 1. Petr. III. 13. 14. Ecce enim Paulum *σκόλοπα* sentientem, non tamen ab instituto cursu ac studio recedentem ac fugientem. Hunc igitur sequere.

2. Audaculorum suis viribus nimium fidentium & Satanæ Ministros risu tantum explodentium secus atque Pauli exemplum Gal. IV. 13. 1. Cor. II. 3. &c. ut in Ecclesia Christi versatus sit, docentis, hic vero τὸν σκόλοπα cum humilitate persentiscentis, commonstrat.
3. Securorum quorumvis, qui cum Satanam ut Leonem rugientem non metuunt obambulantes, multo certè minus ab ejus sub speciosa Angelorum suorum larva latentis dolis cavere sibi poterunt, certissimo exitio expositi, contra Apostoli monita Ephes. VI. Conf. 2. Cor. II. 11. 12. seqq.

§. V.

Ad *ἁγίασμα* deniq; facient Apostolica mente talia quoq; passis

1. Quando ex ipsis Diaboli & Angelorum ejusdem Ecclesiae hostium insectationibus suam potius salutem, quam perniciem, sicuti & in crucifixione ac morte Salvatoris nostri contigit, si Deo firmiter & constanti fide adhaerebunt, consecuturam sciunt, Rom. VIII. 28.
2. Dum Christo intimius innexi & ad eundem aliorum vi quasi compulsi gloriae ejusdem & instrumenta redduntur tanto aptiora, quanto magis ex conservatione ipsorum & tutela a tanta hostium rabie tandem elucescet virtus infinita Regis ac Domini J. Christi, ac
3. Pia denique morte liberatio ex omni malorum genere secundum 2. Tim. IV. 18. illis obtinget lætumque Paulis tristemque Alexandris catastrophem afferet, 2. Thes. I. 6. 7.

§. D. G.